

II

CRITICA 'REFUTATIONIS IDEALISMI'

CUM iam ea exposita sint quae Moore in suo scripto tradit, nostrum est nunc valorem eorum quae ibi traduntur perpendere. In quo autem munere praestando, ipsius Auctoris iudicium in primis considerandum venit.

Porro Moore semper suiipsius severissimum criticum egit. Quamvis enim sua Refutatio vix non ab omnibus laudibus extolleretur, ipse tamen eam haud magni faciebat. Cum anno 1922 plura sua scripta in volumine edenda curaret, vix certus erat utrum Refutationem includere deberet. Eam enim eo tempore confusam et erroribus obnoxiam esse putabat. Et si eam includit, hoc veluti solum consultationis gratia fecit, aliis sibi de reimpressionis utilitate ex eo suadentibus quod plures philosophi ad Refutationem allusiones in suis scriptis fecerant.¹⁴ Estne igitur dicendum Refutationem, ipso Auctore fatente, nullum valorem habere?

Judicium quippe ipsius Moore de sua Refutatione nimis severum nobis esse videtur, et putamus illud per hoc explicari quod, licet ipse numquam Idealismum admiserit, tamen in posterioribus scriptis plura in Refutatione asserta modificavit. Moore enim talis philosophus erat cui numquam sua scripta satisfaciebant, eaque semper iterum exarare cupiebat. Vir magna honestate et sinceritate, semper suos errores agnoscere paratus erat, nec sua nimia apud socios auctoritas ullum exinde detrimentum patiebatur. Si igitur aequo volumus Refutationem dijudicare, potius quam ad ipsius Auctoris iudicium, attendendum est ad scopum ab ipso intentum, as suae argumentationis efficaciam, ad media ibi adhibita ad illum scopum assequendum.

Moore quidem in animo non habebat aliquam positivam realitatis interpretationem dare. Voluit tantum peculiarem realitatis interpretationem ab Idealistis datam crisi subicere, et hoc cum ostenderet fundamentum metaphysicae idealisticae, i.e., principium immanentiae, falsum esse. Ad quod demonstrandum, dum ex una parte negative falsitatem principii immanentiae ostendit, ex altera vero parte positive aliquas theses real-

¹⁴ 'This paper now appears to me to be very confused, as well as to embody a good many down-right mistakes; so I am doubtful whether I ought to have included it. But in this case I have another excuse: namely that it is a paper to which a good many allusions have been made by contemporary writers on philosophy; and I was told that, for some readers at all events, it would be a convenience that it should be reprinted along with the rest, if only for the sake of reference.' *Philosophical Studies*, p. viii.

isticas defendit, omnia denique peculiari methodo tractando. Quibus consideratis, nostram inquisitionem in valorem Refutationis sub tribus capitibus considerandam et conducendam putamus. In his loquemur: de validitate Refutationis; de thesibus realisticis; de methodo tractationis.

I. DE VALIDITATE REFUTATIONIS

(i). *Utrum Moore recte idealismum intellexerit.*

Moore idealismum ut systema eminenter metaphysicum intelligit, quod realitatem esse spirituales affirmat. Ad idealismum acosmisticum BERKELEY attendere potius videtur quam ad alias tendentiae idealisticas, licet mentionem faciat etiam KANT et BRADLEY. Ad diversas autem Idealistarum tendentias non attendit, quia in animo habet solum aspectum criticum, omni tendentiae communem, considerare. Recte autem advertit omnem constructionem metaphysicam idealismi in aspectu critico cognitionis inniti; sic optime videt fundamentum idealismi esse principium immanentiae, iuxta quod 'esse est percipi'. Si igitur hoc principium non valet, recte observat ipse, omnes conclusiones quae ex eo derivantur, licet forte non falsae, tamen gratuita sunt. Et haec est ratio cur hoc principium fundamentale refutare velit.

Auctor insuper non solum momentum principii immanentiae pro idealismo bene perpendit, sed illum et recte intelligit. Cum ideo varios formulae idealisticae sensus inveniat, bene hos a sensu Idealistarum discernit.

Praeterea logicas principii immanentiae sequelas recte et clare deducit. Pro qua perspicua deductione, nec non pro recte intellectione eorum quae in theoria idealistica involvuntur, ab ipsis Idealistis laudatur.¹⁵

(ii). *Quaenam argumenta contra idealismum attulerit.*

Contra idealismum Moore quinque argumenta proponit, quae repetit ex illegitimitate principii immanentiae, ex contrario testimonio conscientiae,

¹⁵ 'I offer Mr. Moore my sincere compliments on the admirable lucidity with which he has worked out (p. 452) the seemingly subjectivist consequences of Idealism. He sees, I am convinced, more correctly than many of its professed champions what the Idealistic theory really involves. Only he is mistaken in supposing that these consequences are so extravagant that no one would care to maintain them. With a little interpretation that does not alter the fundamental sense, the Idealist may accept every word he says, and rejoice to find a fellow-philosopher who, though a Realist, sees the logic of the question as he sees it himself'. STRONG, *art. cit.*, p. 184.

ex interna contradictione et ex sequelis absurdis, i.e. ex periculo solipsismi et scepticismi.

1) **Principium immanentiae est illegitimum.** Cum hoc sit praecipuum argumentum a Moore contra idealismum allatum, illud hic ulterius clarificandum ducimus. Auctor ostendere intendit principium immanentiae ex hoc esse illegitimum quod sustineri nequeat nisi aut per errorem aut per fallaciam. Error committitur si, natura illius principii male intellecta, principium putatur esse analyticum, dum revera est syntheticum. Fallacia e contra habetur si, ad illud firmandum, invocatur principium totalitatis organicae, quod idem simul tollit quod ponit.

Sensus porinde argumenti est sequens: *Propositio esse est percipi*, bene intellecta, dicit: Realitas constat ex *esse* et *percipi*, ita ut quidquid est, percipiatur. Termini autem *esse* et *percipi* sunt distincti. Cuilibet igitur hos terminos intelligenti patet propositionem *esse est percipi* esse *syntheticam*. Hinc, ut haec propositio vera sit, debet esse *necessaria* et *mere per se evidens*. Talis autem revera non est. Ergo affirmari nequit.

At cur Idealistae eam affirmant? *Aut* quia distinctionem inter eius duos terminos non faciunt, et sic errorem committunt; *aut* quia distinctionem faciunt verbis et non re, et sic per fallaciam peccant.

In prima hypothesisi, si Idealistae non faciunt distinctionem inter *esse* et *percipi*, i.e. si non agnoscunt differentiam inter *esse* obiecti et experientiam de eo, tunc possunt affirmare quod *esse* obiecti et experientia de eo sunt *idem*, seu quod *esse* est *percipi*. At cum hoc dicant suam propositionem ad propositionem *mere analyticam* reducant, cuius termini sunt identici. Contrarium autem ostensum est, terminos scilicet *esse* distinctos propositionemque *esse* *syntheticam*. Ergo errant Idealistae, naturam suae propositionis male intelligentes.

In secunda vero hypothesisi aliqua distinctio inter terminos retinetur, et sic propositio non evadit analytica. Proinde Idealistae de errore hic argui nequeunt. At, reponit Moore, illam distinctionem ponunt tantum verbis, et non re. In hoc igitur consistit eorum fallacia. Concedunt enim distinctionem inter terminos; nihilominus eam qualificant, quasi dicant: Utique isti termini sunt distincti; tamen aliquam totalitatem organicam constituunt, ita quidem ut uterque terminus non sit illud quod est independentem ab altero; itaque considerare utrumlibet independentem ab altero esset facere abstractionem illegitimam. Hoc igitur cum asserant, distinctionem faciunt verbis et non re, eamque simul ponunt et tollunt. Et haec est fallacia. Doctrina de unitate organica utuntur ut jus sibi tribuant distinctionem faciendi eamque auferendi quandocumque hoc eis

conveniens est. Nec, posita natura synthetica eorum propositionis, eam absque hac fallacia retinere possunt. Hinc patet cur illa propositio principium immanentiae enuntians gratuita atque illegitima sit.

2) Immanentia contradicit conscientiae. Insuper, quam falsum sit dicere obiectum cognitionis esse immanens cognitioni, secundum nostrum Auctorem, clare eruitur ex ipso testimonio conscientiae. Hoc argumentum a Moore non evolvitur in forma, et forte mens eius melius exprimitur dicendo *ex natura* quam *ex testimonio* conscientiae. Argumentum enim in peculiari sua explicatione activitatis cognoscitivae innititur. Iuxta Moore enim, in sensatione conscientia est directe aperta ad obiectum extra ipsam. Quo autem dicto sequitur ipsam conscientiam testari obiectum cognitionem sensitivam transcendere, ideoque non esse immanens, sicut Idealistae volunt.

3) Contradictiones systematicae. Secundum Moore principium immanentiae contradictiones systematicas implicat, et ad absurdas conclusiones ducit. In primis, si obiectum cognitionis non existit extra cognitionem, non est reale. Ergo cognitio de eo est cognitio nihili. Et si consideratur ut obiectum ipsum subiectum, tunc etiam cognitio subiecti est cognitio nihili realis. In omni casu potest ad summum admitti tantum conscientia quae conscia est nihili.

4) Periculum solipsismi. Praeterea, ex principiis idealisticis, solipsismus, qui absurdus est, nullo valido argumento potest excludi.

5) Periculum scepticismi. Tandem, attenta logica sequela principiorum Idealistarum, Moore putat Idealistas nullum jus habere concludendi realitatem esse spiritualem, sed, e contra, ad universalem dubitationem scepticam devenire debere, de omni re, tum materiali tum etiam spirituali, dubitando.

(iii). Qualis sit valor horum argumentorum.

Praesens quaestio est utrum argumenta a Moore allata falsitatem principii immanentiae evincant. De singulis pauca breviter dicemus.

1) Illegitimitas principii immanentiae. Moore bene intelligit principium immanentiae non esse per se evidens. Ad hoc clare illustrandum tota sua laboriosa analysis formulae 'esse est percipi' ordinatur. Ope huius analysis Moore videtur bene monstrasse terminos huius propositionis non esse identicos sed distinctos, proindeque propositionem esse syntheticam. Unde valido eoque efficaci argumento jure insistit prin-

cipium immanentiae *esse probandum*, non mere statuendum. Ad hanc conclusionem *via analytica* ducitur, et non mere probationem petendo ob discrepantiam inter principium idealisticum et persuasionem spontaneam. Quam vero viam ad hanc rectam conclusionem perveniendi positivum et originale contributum esse putamus. — Ad probationem autem huius principii quod attinet, Moore non excludit ut contradictoriam eius possibilitatem, sed unicam quam novit probationem ut contradictoriam rejicit. Haec probatio recurrit ad theoriam de totalitate organica, in qua partes non essent id quod sunt independentes a toto. Moore ostendit fallaciam quae in hac theoria latet, quatenus hoc modo usurpatur jus contradictoria impune simul affirmandi, et acriter talem Idealistarum praxim impugnat. Sic conclusively ostendit principium immanentiae, quippe quod absque fallacia et contradictione probari nequeat, esse omnino illegitimum.

2) **Immanentia contradicit conscientiae.** Moore conatur transcendentiam obiecti ex natura conscientiae stabilire. Ex ea enim proculdubio spontanea persuasio realistica vindicari potest, adeo ut et a Scholasticis ex hoc capite solet potissimum vindicari. Argumentum autem diversimode proponitur a Moore ac a Scholasticis. Isti enim malunt formaliter considerare conscientiam iudicalem qua talem, quae in omni iudicio vero et certo exercite ostendit obiectum tanquam mensurans iudicium, et proinde tanquam a iudicio independens illudque sua extramentali realitate transcendens. Moore e contra sumit conscientiam quae in omni sensatione habetur; ei omnino adaequat conscientiam iudicalem et reflexam, affirmatque eam in omni casu *peculiari modo* ad obiectum ordinari, ita ut sit semper conscientia *alicuius* ab ipsa *independentis*. Conscientia ab ipso consideratur ut lumen, quo accenso, obiectum in se stans fit praesens subiecto secundum suam transcendentem realitatem. Hinc tum Scholastici tum Moore ex conscientia argumentantur; illi autem utuntur conscientia iudiciali certa, iste conscientia sensationis; et sive illi sive iste suum argumentum fundant in ordine iudicii et sensationis respective ad obiectum reale. De utroque igitur argumento tota quaestio quae moveri potest est utrum argumentum contra Idealistas vindicare valeat ordinem actus cognoscitivi (sensationis nempe vel iudicii) ad suum obiectum, ita ut exinde obiectum ab actu quo cognoscitur independens esse evincat. Idealistae enim illum praecise ordinem negant.

Sane cum quaestio in ambitu conscientiae iudicialis instituat, ille ordo sine dubio vindicari potest. Nam iudicium expresse obiectum, simplici apprehensione cognitum, ad rem quam affirmat refert. Ratio autem cur in iudicio affirmemus est quod videmus ordinem affirmationis ad

rem; a.v. quod *exercite* in ipso iudicio directo videmus rem quam realem affirmamus seipsam in realitate firmare, et consequenter ad hanc firmitatem nostram affirmationem constringere ac mensurare. In actu enim iudicii subiectum praesens est sibiipsum; conscius est suae unitatis in seipso et unitatis obiecti in seipso; consequenter suum obiectum a seipso distinguit, illudque sibi repraesentat quatenus obiectum, seu sibi in realitate obpositum, et secundum hoc obiectum adfirmat secundum quod ipsum in realitate se firmat. In omni enim iudicio vero, ope reflexionis completae, affirmans redit ab obiecto quod affirmat, ad actum quo affirmat, et per hunc ad seipsum qui affirmat. Hac autem reditione affirmans certus est de veritate suae affirmationis; illud quod affirmat intelligit esse in se firmum, actum vero quo affirmat videt esse ad hanc firmitatem declarandam ordinatum. Ergo in ambitu conscientiae iudicialis clare apparet ordo affirmationis ad rem. Qui ordo cum sit unica affirmationis ratio, posita affirmatione, negari nequit. At, dato hoc ordine, obiecti transcendens alteritas necessario sequetur. Sic ex analysi conscientiae iudicialis immanentis idealistica e medio tollitur.

Sed quid si cum Moore in ambitu solius conscientiae sensitivae remanemus? Etiam tunc verum est sensationem ad suum obiectum ordinari; et hic ordo iam valet sententiam idealisticam evellere et realisticam instaurare; Idealista enim debet hunc ordinem explicare, non vero ob sua praeiudicia eum pervertere. Itaque ex ordine sensationis ad suum obiectum idealismus acosmisticus excluditur. Et haec est ratio cur Moore tam acriter insistat naturam conscientiae sensitivae idealismo contradicere. At num Idealista, ex sua positione, vim huius instantiae realisticae sentire potest? Num a sua persuasionem movebitur ad admittendum ordinem sensationis ad suum obiectum solum per hoc quod hic ordo dicitur a realista esse sicut esse apparet? Num conscientia sensationis sibi relicta illum ordinem vindicare valet? Sane in hac quaestione non agitur de stricte dicta demonstratione quae veritatem realisticam clare ostendit, sed potius de datorum conscientiae recognitione. Ergo data conscientiae sensitivae philosopho recognoscenda se praesentant. Multo autem fortius hoc evenit in ambitu conscientiae iudicialis quam conscientiae sensitivae. Sensatio enim, aliter ac iudicium, nequit supra seipsam complete redire, nec proinde cognoscere potest se ad obiectum ordinari et ab eo mensurari. Veritatem quidem continet, non autem formaliter sed tantum incohative. Proinde eius analysis non videtur ex se sola posse Idealistam ducere ad veritatem cognoscendam. Tamen Moore ad hoc inconveniens non advertit. Conscientiam iudicalem cum con-

scientia sensitiva quoad omnia parificat. Elaboratam cognitionis doctrinam non habet, et illa quae in sua argumentatione latet falso praesupposito empiristico laborat.

3) **Contradictiones systematicae.** Moore conatur Idealistas de incohaerentiis systematicis arguere. Recte quidem advertiti quod, si obiectum est ita immanens subiecto cognoscenti ut nullam independentem existentiam extra ipsum sortiatur, tunc, realitas obiecti est tantum elaboratio subiecti. Unde consequitur obiectum non esse nisi cognoscatur. Itaque obiectum non est reale sine cognitione, et cognitio est cognitio seu conscientia nihili realis, seu nihili omnino. Hinc recte advertit Moore Idealistam numquam posse aliquid reale cognoscere, et proinde eum falso putare se aliquid reale cognoscere. Quod quidem etiam de ipso subiecto validum est. Nam si obiectum cognitionis est totaliter productum ab activitate conscientiae, tunc, cum Idealista putat se cognoscere seipsum, revera illuditur; nam illud 'seipsum' quod cognoscit non est nisi productum conscientiae sui, et sic extra illam conscientiam nullam consistentiam habet. — Quae omnia valde bene a Moore contra Idealistas obijciuntur.

4) **Periculum solipsismi.** Si esse rerum ab elaboratione conscientiae provenit, tunc logice ad solipsismum deveniendum est. Moore tamen concedit solipsismum non necessario statuendum esse tamquam principiorum idealisticorum consequentiam. Ratio videtur esse quia individua conscientia quae realitatem ex propria activitate ab intus construit, non necessario alias similes conscientias individuales excludit. At, recte urget Moore, coram absurda hypothesis solipsismi, Idealista, suis principiis fretus, prorsus inermis relinquitur. Nonne hoc defectum in systemate innuit?

5) **Periculum scepticismi.** Ad ostendendum periculum scepticismi, reiecto realismo, ex principiis idealisticis, logice vitari non posse, Moore propria doctrina realistica utitur. Docet enim nos ope conscientiae, eandem omnino evidentiam habere de nostris sensationibus et de obiectis sensibilibus. Si igitur haec evidentia non sufficit ad stabiliendam obiectivam existentiam rerum sensibilibum, quo iure sufficit ad probandam existentiam nostrarum sensationum, h.e. eorum omnium quae naturam spiritualem habent? Aut igitur admittitur et spirituale et materiale, aut de utroque est dubitandum. En scepticismus. — Quae quidem argumentatio bene rem evinceret si verum esset nos habere eandem directam evidentiam rei sensibilis ac rei spiritualis.

II. DE THESISIBUS REALISTICIS

Ad theses realísticas quas in decursu suae tractationis defendit, Moore videtur alludere quando se de pluribus erroribus in Refutatione contentis accusat. In investigationibus enim et in studiis posterioribus de hac materia suam positionem quoad plura pluries modificavit. Sane noster scopus non est suam evolutionem philosophicam hic investigare et delineare. Solum quaedam breviter per modum complementi eorum quae iam dicta sunt adiungere intendimus.

Praecipua asserta realística quae Auctor in hoc suo scripto facit ad haec tria reduci possunt:

(i) sensatio seu idea duplici elemento constat, conscientia et obiecto, prorsus ab invicem distinctis;

(ii) data sensuum ('sense data', in posteriori terminologia) habent obiectivam existentiam propriam in rerum natura, independentem a subiecto sentienti;

(iii) nostra cognitio rerum materialium est directa et immediata; proinde nulla imago vel species inter obiectum et conscientiam mediat.

Quid de his assertis dicendum est? — Ante omnia ipse Moore in suis scriptis posterioribus semper distinctionem inter conscientiam eiusque obiectum strenue retinuit, et sic suam positionem cum sententia idealistica numquam composuit. Quoad obiectivam existentiam datorum sensuum suam sententiam modificavit, admisitque quaedam data sensuum ad proprietates obiectorum materialium non pertinere. Tandem tertium assertum revocavit, immediatam cognitionem in postero negavit, sed mediatam cognitionem modo sibi proprio definivit.

Tamen, sive in sua originaria explicatione, sive in sua posteriori doctrina, licet plura non inutiliter dixerit, rectam autem solutionem invenisse non videtur.

In primis, non videtur recte potuisse sensationem cum idea quoad omnia adaequare. Utraque sane est modus cognoscendi, iste autem modus diversus est. Utraque importat obiecti conscientiam, sed haec conscientia ad obiectum diversimode refertur. Factum quod in utroque casu datur conscientia obiecti sat clarum est. Profunda autem quaestio est *quomodo* in utroque casu obiectum in conscientiam ingreditur. Hoc problema in analysi Moore non solvitur sed praetermittitur. Cognitionis explicationem per speciem obiecti vicariam, in qua et per quam obiectum cognoscitur, Auctor perperam intelligit. Tota sua analysis de 'contento' sensationis seu ideae, ex hoc defectu oritur. Insuper, sententiam realisticam de contento tamquam *id quo* obiectum externum cognoscitur con-

fundere videtur cum sententia idealistica de contento tamquam *id quod* cognoscitur. Ob quam rationem, ut realismum salvet, primo tempore docuit directam et immediatam cognitionem obiecti, ope conscientiae quae, absque medio, obiectum coram seipsa sistens intuetur. Deinde, cum *mediatam* cognitionem admitteret, suam positionem sub aspectu gnoseologico tantum aliquatenus modificavit, sed non ex toto mutavit. Antea enim, per immediatam cognitionem obiectorum, ipsam substantiam materiale directe et immediate cognosci affirmaverat; postea vero, obiectivam existentiam qualitaturn secundariarum negans, cognitionem mediantibus 'datis sensuum' (sense-data) admisit; eius autem 'sense-data' nullam videntur relationem cum specie sensibili habere. Sic totus suus labor philosophicus in traditione empirica anglica inseritur, et ab ea nutritur. Licet autem suae investigationes realisticae haud parum quaestionibus pressius determinandis contulerint, tamen rectas solutiones non indicarunt. Eum ideo pro nisu laudamus, pro successu ei non gratulamur.

III. DE METHODO TRACTATIONIS

Aspectus autem positivus haud spernendus Refutationis est peculiaris methodus ibi adhibita ad res philosophicas modo analytico tractandas. Iam antea influxum quem haec methodus in philosophiam anglicam exercuit breviter notavimus. Ad hanc methodum nunc redimus solum ut ostendamus eam iam in Refutatione illustratam.

Ex expositione Refutationis supra tradita statim videre licet tractationem fere semper analytica methodo perfici, ita quidem ut totum scriptum, introductione et conclusione exceptis, fere tribus analysibus constet. Argumentum enim componitur ex analysi principii immanentiae, ex analysi sensationis seu ideae, et ex analysi conceptus 'contenti'. In his autem analyzandis Moore suam methodum philosophandi optime illustrat.

Ad principium immanentiae quod attinet, Auctor diligenter tres sensus formulae 'esse est percipi' invenit. Possibiles significationes propositionis idealisticae minutis distinctionibus ac laboriosa investigatione inquiri, donec ad aliquem determinatum sensum perveniat quem unicum rectum esse et unicum momento praeditum affirmat. Optime autem scit sensum ab ipso inventum non esse sensum ab Idealistis intentum. Sed non vult sensum idealisticum rejicere nisi postquam ostenderit eum a sensu recto, sua analysi statuto, discrepare. Et sane contra Idealistas ex eo praeprimis argumentatur quod sensum rectum eorum propositionis pervertant, nec proprium sensum iustificare satagant. Sane huius analysis utilitatem nemo est qui non videat; ad scopum enim ab auctore sibi

praefixum haud parum confert. Idem dicendum est etiam tum de analysi sensationis, tum de investigatione conceptus contenti. Istae analyses, licet forte erroribus non expertes, essentiam tamen et nucleum quaestionis ab omni obscuritate denudant. Sic dum ex una parte lectoris attentionem sustinent, ex altera vero parte viam rectae solutioni optime sternunt.

Praetermissa autem quaestione utrum, ope methodi analyticae Moore rectam solutionem invenire quaeat — ipse enim optime semper quaerendo, sat raro bene respondendo concludit —, quilibet lector Refutationis nequit non advertere speciale munus analysis in decursu tractationis. Videtur enim Moore analysim non mere ut medium ad finem adhibere, sed in ea veluti in fine immorari. Sua sane analysi delectatur; libenter eam prosequitur, eamque in peculiare philosophandi systema erigit, ita ut sua praxi innuere videatur munus philosophiae in ambitu analysis integre expleri. Analysis autem cum nimis indulgeat, particularia, ut ita dicam, microscopica, intensa luce scrutatur, amplitudinis autem quaestionis visionem amittit. Sane sua tendentia ac praxis philosophandi carentiam aptitudinis ad metaphysicam ostendit; et hoc constans habitudo concreta exempla sumendi, ut flos, caeruleum, viride, confirmat. Sed aliud quoque occurrit notandum. Saepe analysis magis ad rectum propositionum sensum eruendum dirigi, quam ad earum obiectivam veritatem ostendendam intendi, videtur. Quod iterum per hoc confirmatur quod de contento, sicut et de principio immanentiae, significatio potius quam aliud ope analysis inquiritur.

Conclusio

His dictis, cum omnia paucis resumemus, quid de Refutatione idealismi, in sua totalitate sumpta, censendum putamus?

Nostro iudicio Refutatio, licet defectibus non careat, positivum tamen ac solidum valorem probativum contra idealismum habet. Si insuper suum momentum historicum spectatur, nec non magnum quem in alios exercuit influxum, non immerito ut praeclara habetur. In sua Refutatione Moore originali modo contra idealismum argumentatus est. Eius autem argumenta a multis coaevis tamquam solida ac probativa recepta sunt. Sic idealismus in Anglia paulatim derelinqui coepit. Illud autem quod ei derelinquendo potissimum facit erat non tam vis et argumentorum impetus quam nova philosophandi methodus quam Moore in Refutatione adhibuit et postea magis evoluit. Hac enim methodo analysis linguisticae allekti philosophi problematis idealismi obliti sunt.